UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chytråus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

IIII. De peccato Originis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

Visual Library

Hominis uero curabile, Quia non per ſe ſed per alium cecidit, & ideo per alium reſurgere potuit. Item Angelica natura, quoniam non tota perierat, ſed ex parte perſtiterat non eſt redemta, Humana uero tota perierat, & ideo ne penitus perderetur ex parte eſt redemta, ut inde ruina suppleretur Angelica.

Poſtremo uſitati argumenti explicatio conſideretur.

Qualis eſt perſona tales ſunt actiones, Qualis eſt arbor, tales ſunt fructus,
Adam fuit iuſtus, Ergo,
Non potuit peccare.

Reſpondeo ad Maiorem. Qualis eſt perſona, ſcilicet manens in agendo talis. Ad Minorem, Adam fuit iuſtus, ſed habens liberam uoluntatem, mutans igitur uoluntatem, deſinit eſſe iuſtus. Nec congruit prorſus ſimilitudo de arbore, Quia arbor non agit libere.

IIII.
DE PECCATO Originis.

Poſtquam primi parentes deliquerunt, non ſolum donis naturæ integræ, uidelicet ſapientia mentis, rectitudine uoluntatis, & conuenientia cordis cum Lege Dei ſpoliati ſunt, Sed etiam natura eo-
rum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum horribiliter deprauata eſt caligine & dubita-
tionibus de Deo, ſecuritate carnali, diffidentia, fre-
mitu aduerſus Deum in ærumnis, contemptu iudicij
diuini, deniq; omnium affectuum ἀταξία. Cumq; ta-
les eſſent primi parentes poſt lapſum, tales etiam
procrearunt, ut dicitur Gen. 5. Adam genuit Seth ad
ſimilitudinem & imaginem SVAM. *Et Rom. 5. Per*
unius delictum propagatum eſt malum in omnes ho-
mines ad condemnationem.

Eſt igitur PECCATVM ORIGINIS non ſolum obligatio ad mortem & alias pœnas propter lapſum Adæ, ſed etiam in ipſa natura hominum corruptio ſeu defectus, & inclinatio pugnans cum Lege Dei nobiſcum naſcens & ſecuta lapſum Adæ, promerens iram Dei & æternas pœnas, niſi fuerit facta remiſſio. Vt Rom. 5. *clarè dixitur, Per unum hominem intra-*
uit peccatum in mundum. Epheſ. 2. *Sumus natura*
filij iræ. Pſal. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.*
Ierem. 17. *Prauum eſt cor hominis & miſerum.*
Roman. 8. *Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus*
DEVM.

Conſiderent autem Studioſi hoc in loco uſitatam
argumenti explicationem.

Peccatum

Peccatum alienum neminem damnat,
Malum originis eſt Peccatum alienum, Quia
propter Adæ lapſum homines rei ſunt.
Ergo neminem damnat.

Reſpondeo primum ad Minorem. Nego Minorem, Quia malum originis eſt non tantum pœnæ, ut dicunt aliqui nos plecti propter lapſum Adæ, ſicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filij ſecundum iuſticiam fori, Sed etiam corruptio & prauitas naturæ in omnibus ex uirili ſemine naſcentibus, propter quam rei ſumus.

Deinde Maior uera eſt de iudicio forenſi. At Lex Dei inquit: Ego ſum Deus fortis zelotes, uiſitans iniquitatem patrum in filijs. Etſi autem fremit humana ratio & clamitat Deum crudelem eſſe, tamen Eccleſia ſcit nec iram Dei, nec magnitudinem peccati in hac triſti caligine à nobis intelligi, & toto pectore clamitat, Iuſtus es DOMINE, & rectum iudicium tuum. Item, Tibi DOMINE iuſticia.

Ezechielis concio, Filius non portabit iniquitatem patris, eſt uox Euangelij. Sed cum non agimus pœnitentiam, manet iudicium legis, quo propter noſtra & parentum delicta damnamur.

V. Locus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN